



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

13. An etiam illis, qui recenter peste[m] conceperunt?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

Præterea oleum, quo hoc sacramentum perficitur, vocatur *oleum infirmorum*, ut constat ex pontificali Romano, non sunt ergo sani illo inungendi. Idem docent sacri (a) Canones, cum dicunt: *infirmum ita susceptivum esse huius sacramenti, sicuti presbyterum illius esse ministrum*: at hoc posterius ponunt ut necessarium ad substantiam sacramenti: ergo & prius. Tandem idem constat ex fine huius sacramenti; primarius enim est alleuiatio & confortatio infirmi: secundarius, restitutio sanitatis, vterque autem præsupponit hominem actu infirmari,

a c. unico. de
sacr. vnc.

Dices: Quid si seruitores dolorem capitis, vomitum, & huiusmodi symptomata patiantur, quæ pestem vel præsentem, vel vicinam prælagire solent?

R. Consulendi sunt medici; Si dubitent, fiet, ut superiore quæstione diximus.

Q V Æ S T I O XIII.

An etiam illis, qui recentem pestem contempserunt?

Quæstionis explicatio.

HOc sacramentum vocatur communiter *sacramentum exeuntium*, ut bene Dd 3 notauit

a *sess. 14. c. 3.* notauit Concil. (a) Trident. quare non debet conferri nisi illis, qui ita periculose decumbunt, vt in exitu vitæ constituti videantur, quod etiam omnes Dd. vnanimiter docent. Huius occasione quæritur, an illis conferri possit, qui cum optima valetudine fruerentur, subito pestem conceperunt, etiam antequam pestis inualuerit, aut vlla signa exitus ex hac vita appareant?

Responsio.

b *Maior in*
4. dist. 23.

c *de febre pestelentiali,*
& alij.

QVando constat ægrum laborare peste, (b) non tenetur pastor expectare gradum aliquem ægritudinis illius, sed potest, imo debet statim à principio talis ægritudinis sacramentum hoc ministrare: Quia secundum communem medicorum sententiam, & experientiam, morbus est nō solum per se lethalis, sed qui, (vt eleganter expressit Alexander, (c) Benedictus medicus) ita subito, vt plurimum mortales hinc euocat, vt sine febre inter domesticas, ac forenses, actiones, vel publica negotia, decem horarum spatio sine vrina, pulsusve venarum certo signo, in templo, in via, in publicis officiis, ex insperato, eripiat, ita vt homo interdum letus, iucundus, leui temporis momento statim cadat.

Dices: Vt sacramentum hoc alicui ægro ministretur, non tantum requiritur secundum

dum Doctorum sententiam, vt morbus per se grauis sit, & lethalis, sed etiam vt status morbi talis sit, qui infirmum in graui periculo mortis constituat, & ita vsus ecclesiae confirmat: ergo debet expectari aliquis status morbi, qui doceat infirmum existere in tali periculo.

R. Expectare illum statum non esse ita essenziale, vt si ille non expectetur, nullum futurum sit sacramentum, sed sufficit secundum communem, vt morbus iudicio Medicorum per se lethalis sit, & periculosus. Vnde plerique notant, & merito, peccari hac in parte à nonnullis, qui differunt ministrare hoc sacramentum, donec infirmus sensu & cognitione careat, manifeste enim faciunt tum contra reuerentiam sacramento debitam, tum contra proximi salutem.

QVÆSTIO XIV.

*An etiam illis, qui existimantur
mortui?*

Quæstionis explicatio.

Peste infecti, vt ante dixi, morbi violentia agitati, frequenter reperiunt in angulis do-

Dd 4 lis do-